

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Historia Resurrectionis Christi Secundum Matthæum Explicata, Et Harmonice Cum Narrationibus Reliquorum Evangelistarum Collata ...

Varios Sermones Iesu Christi Mortuis Resuscitatis, Hierosolymis Cum Suis
Habitu, ... In Lycem Edita, Consuetudoque Academico Examini Anno
MDCCXXXV. Die 6. Mensis Maii

**Rusmeyer, Michael Christian Rusmeyer, Michael Christian
Gryphiswaldiae, [MDCCXXXV?]**

urn:nbn:de:gbv:45:1-9457

HISTORIA RESVRRECTIO-
NIS CHRISTI
SECUNDVM

MATTHÆVM

EXPLICATA,

ET HARMONICE

CUM NARRATIONIBVS RELIQVORVM
EVANGELISTARVM COLLATA,

QVOAD

PARTIS POSTERIORIS,

SECTIONEM PRIMAM

VARIOS SERMONES IESV E MORTVIS RESV-
SCITATI, HIEROSOLYMIS CVM SUISHABITOS,
EXHIBENTEM

CVM DEO

ET

VEN. FACULT. THEOL. CONSENSV

IN LUCEM EDITA,

CONSVETOQUE ACADEMICO EXAMINI

ANNO MDCCXXXV. DIE 6. MENSIS MAJ

EXPOSITA

A

MICHAELE CHRISTIANO
RVSMEYERO,

SS. THEOL. D. ET PROF. FAC. TH. SENIORE,

RESPONDENTE

DAN. FRIDER. SCHRÖDER,

MFDOV. POMERANO.


GRYPHISWALDIAE,

TYPIS EXSCRIPTIS CAR. HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

t. 39⁶



Farbkarte #13





PRAEFAMEN.



Non miraberis amplius, benevole Lector, materiam disputandi me elegisse Historiam resurrectionis Christi, sed, postquam priorem partem in lucem edidi, inque ea causas, quibus inductus sum, explicavi, exspectabis nunc partem posteriorem, in qua Sermones Christi, quos cum suis post resurrectionem habuit, explicandi sunt. Ordinem sequutus sum, quem in Parte priore posui. Alia quæ sint præfanda, non habeo. Sed rem ipsam B.C. D. nunc aggredior.

A

§. I.



§. I.

Prima omnium vocem suavisimam Jesu e mortuis resuscitati audivit MARIA Magdalena. (a) Verba, quæ inter eam & de morte triumphantem Salvatorem commutata sunt, ita nobis tradidit JOHANNES: (b) Dicit ei Jesus: fœmina, quid fles? quem quæris? (c) Illa, putans, quod hortulanus sit, dicit ei: domine, si tu sustulisti eum, dic mihi, ubi eum posueris; & ego eum auferam. (d) Dicit, ei Jesus: Maria. (e) Illa se convertens (f) dicit ei: Rabbuni, quod dicitur magister. (g) Dicit ei Jesus: *Non tange me; nondum enim adscendi ad patrem meum: abi* (h) *vero ad fratres meos, (i) & dic eis: Adscendo ad patrem meum & patrem vestrum, (k) & Deum meum & Deum vestrum.* (l).

(a) Vid. Part. prior. §. II. (g) (h) (i).

(b) M A T T H E U S, uti in recensendis apparitionibus brevis est, ita quoque paucissima de verbis Jesu resuscitati collegit. M A R C U S quidem autor est, quod primo M A R I A M agdalena vivus apparuerit; de eo, quod cum ea locutus est, plane tacet. L U C A S etiam omnia silentii peplo involvit. Solus J O H A N N E S, Φιλόχειρος ille & solertissimus verborum magistri sui auscultator, verba quoque ista, quæ post mortem & resurrectionem cum Maria locutus est, diligenter notavit, fastisque suis evangelicis inseruit.

(c) Allocutio γύνας corripientis esse videtur. Vid. Joh. II.
4. Correptione enim digna erat, quæ toties audiverat a magistro, pati se & tertio die resurgere debere, ac nihilominus, vacuum jam cernens sepulchrum ablatum esse corpus mortuum credebat, lacrymisque indulgens ne quidem duos angelos, ipsam alloquentes, attendebat, a quibus tamen, quod resur-



surrexerit informari poterat, si præ nimia tristitia informationis impatiens non fuisset. Sensus igitur verborum Christi esse videtur. Itane ineptis, fœmina? lacrymaris sine causa, quæris mortuum, quem vivere scire debebas. Esse hunc verborum sensum eo facilius percipiemus, si cogitemus, Jesum non in forma aliena allocutum esse mulierem, sed in forma propria.

(d) Sed quæritur, unde factum sit, ut MARIA, Jesum suum, qui ipsi in medullis hærebat, non noverit? Nonne statuendum potius est, quod putant multi, eum hortulani forma apparuisse? Jo. CALVINUS in *Comment. h. l.*, Non dices, inquit, *Christum novas subinde facies instar Protei cuiusdam induisse, sed esse in Dei arbitrio, qui oculos dedit hominibus, aciem eorum, quoties ita visum est, hebetare, ut videndo non videant.* Imo in Maria habemus commune errorum humanae mentis exemplar. Quamvis enim Christus se offerat in conspectum, varias rāmen formas illi affingimus, ut quidvis potius concipiatur sensus noster quam verum Christum. Nam quum per se fallax sit mentis nostræ aspectus, fascinatur etiam a mundo & Satana ne quid veri discernat. Unde venerit, ut Maria non statim agnoverit Jesum, de eo mentem nostram Part. pr. §. II. (i) pag. 27. jam explicavimus. Non putarim igitur, ab arbitrio Dei & hebetatione oculorum hanc dependisse hallucinationem, ut ut cum Emaunticis ita egerit Deus. JOHANNES enim hoc non dicit: neque opus erat tali extraordinaria oculorum hebetatione, quia oculi in se per incredulitatem satis hebetati erant. Ut enim quæ libenter volumus, videre nobis interdum videmur quæ non videmus; ita videntibus quoque oculis saepius non videmus, quæ videre nolumus, seu videre nos posse non speramus. Itaque credere potius debemus, Christum consulto oculis Mariæ conspiciendum se obtulisse, ut coram intueri faciem, & quod vivus ex morte redierit cernere posset. Loquuntur etiam cum ea, ut eo facilius ipsi innotesceret. Verum frustra hæc erant, quoniam mortuum quærebat, non vivum. Adeo fallaces sunt sensus, si mens læva est.

(e) Unicam hanc vocem eloquitur Jesus, qua, tanquam nomine, saepius eam appellaverat. Latet vero in ea ellipsis quedam, forte hujus tenoris: Maria, redi ad te ipsam, oculis-



que tuis & auribus utere; vides me & audis, neque tamen me cognoscis.

(f) Ex voce $\gamma\alpha\Phi\eta\tau\alpha$ colligere licet, inadvertentiam quan-dam in culpa fuisse, quod non statim oculis suis magistrum conspexerit. Videtur media quasi inter $\delta\pi\tau\alpha\tau\alpha\tau\alpha$ angelicam, & eum quem putabat hortulanum hæsisse. Modo enim v. 14. dicebat JOHANNES $\dot{\epsilon}\gamma\alpha\Phi\eta\tau\alpha$ $\dot{\epsilon}\iota\varsigma$ $\tau\alpha\delta\pi\tau\alpha$, conversa est retrorsum; ite-rum igitur de ea commemorans, quod converterit se, clare satis innuit, eam non satis oculos in Jesum direxisse. Cujus causa ex parte muliebris pudor esse potuit, præcipue vero in affectibus tristitiae & desiderii est querenda. Quod si recte ponderemus, facile apparebit, non viam quandam superiorem retinuisse Magdalæ hujus oculos, quo minus Jesum conspi-cerent, sed propriam quandam culpam eos avertisse & hebetasse.

(g) $\dot{\rho}\alpha\beta\beta\eta\tau\alpha$, quod *magister*, seu *doctor*, vertit JOHANNES, non attento suffixo, nomen honoris est, significans *Domine mihi*. Chal-dæi dicunt *רְבָנִי* Ribboni, Gen. XXIII. 15. Mutationem hanc Jo. CALVINUS mori usitato tribuit, quo verba mutantur, dum in alienam linguam vertuntur. Rectius forte ad dialectum Hierosolymitanam pronuntiationem $\dot{\rho}\alpha\beta\beta\eta\tau\alpha$ referimus. Adstipulantem quoque habemus *CHRIST. STOCKIUM* in not. ad N. T. gr. qui, *forma vocis*, inquit, *dialectum Hierosolymitanam* tunc *temporis usitatam* prodit. *Ad Syriacam linguam*, que *Maronitica* dicitur, non spectat, quia geminata litera est index dagesch fortis, abjectam literam compensantis & duplicantis; quo *lingua Syriaca*, que *Maronitica* dicitur, destituitur. Tempore Christi autem doctores magnifico hocce titulo, qui vel reges decebat, i. Sam. XXIV. ii. ac propter ea a scribis ac Phariseis tam avide expetebatur, Matth. XXIII. 7. ornabantur. Ceterum tanto animi stupore, gaudio & amore constringebatur Maria, ut non nisi unicam hanc vo-cem proferre posset. Vid. Part. pr. pag. 28. Adeo profun-dus sensus in uno interdum latet verbo, quemadmodum plu-rima saepius verba non nisi vacui animi indicia sunt. Quod at-tendant velim qui preces ad Deum fundunt; Conf. Matth. VI. 7.

(h)



(h) Quare Christus tangi noluerit a Maria Magdalena, Part. I. §. II. (d) ἐν παρόδῳ explicavimus. Consentientem fere habemus ARETIUM, dum scribit, Christum modeste Mariæ præposterum & carnale studium sui carpere, ac de potiore cura admonere. Singularis & paulo obscurior est sententia Jo. BRENTII, qui tangere hoc loco, non pro corporali tactu, sed spirituali, qui est fides, accipit, ut noli me tangere sit: nondum vere carnali tuo cultu me complectaris, propterea quod nondum spiritu fidei revelato credas, me ad dextram patris sedere &c. Sua vero perspicuitate se commendat illorum sententia, qui ἀπτεθαι figurent per μείωσιν designare dicunt diuturniorem complexum & detractionem Jesu, tanquam non amplius apparituri, & prateritum avabētua ponit volunt pro praesente vel futuro, ut sensus sit: Non est, ut me solcite teneas, metuens scilicet, ne me ipsum tibi denuo subtraham. Nondum enim adscendo ad Patrem meum. Amplius me videbis, antequam ad Patrem meum adscendam. Vid. CHR. STOCKIUS l. c. Jo. CHR. KLEMMIUS Bibl. Tubing. b. l. DAN. SEVER. SCULTE TUS Paraphr. Contin. in N. T. Verum enim vero nec nostra sententia, quam cum aliis habemus communem, sua destituitur perspicuitate, neque ullis premitur difficultatibus, quibus laborat ea, quam modo laudavimus. Ut ut enim expositio in se spectata arrideat, verba tamen eam non omnino admittunt. Enallagen enim temporis statuere quid opus est, dum res ipsa præteritum requirit? Neque satis commode ἀπτεθαι explicatur de indivulsa adhesione, & diuturniore complevu, quicquid sit de allegato loco 2. Chron. III. II. ubi LXX. interpretes Hebræorum קבנexprimunt per ἀπτεθαι. Itaque, ut tandem pluribus mentem meam expediam, MARIA Magdalena, postquam invenerat, quem anima sua amabat, agere cum eo volebat secundum id, quod de sponsa Christi scriptum extat Cantic. III. 4. ἐνθάπησα ἀυτὸν καὶ σὺ ἀφῆσαι αὐτὸν. Errabat autem in modo, dum ulla corporalibus amplectebatur, quem, dum in his versamur terris, non corporaliter sed spiritualiter amplexari debemus per fidem. Monet igitur Christus, nondum in amplexus ruere licere, sed expen-

A 3

Etan-



ständum tempus, quo liberati ab omni præpostero & carnali amicorum studio, complexibus castissimis ac familiaribus tangere nos invicem possimus. Ut vero mentem suam eo melius percipere possit, addit, se nondum adscendisse ad Patrem suum, sed adhuc *nec' cīnōvōpīāv*, ut veritatem factæ resurrectionis evincere queat, certos dies huic negotio destinatos commorari debere in terris, & sic demum ad Patrem adscendere, cursumque absolvere. PHILIPPUS ita circumscribit Christi verba: *Iunc coorrectabis me, cum adscendero ad Patrem, videlicet cum te & reliquam ecclesiam adduxero ad Patrem. Aliud regnum, alia vita restat vobis danda, in qua fruemini Patris consuetudine, & mea, & ad hanc sententiam quadrant quæ sequuntur.*

(i) Ita Christus demum post resurrectionem discipulos suos appellat, ordinem hunc præscribente Spiritu Sancto, Psalm. XXII. 23. Per passiones consummatus sanctificaverat sanctificandos, adeoque eos nunc ut fratres sistere poterat Deo; Hebr. II. 10, II. 12. Ante hanc sanctificationem instar servorum erant, nunc filii Dei per ipsum, Gal. IV. 1. sqq. Unde nec pudere poterat Dominum *fratrum* nomine ipsos compellare. Conf. HERO SIBERSMA h. l.

(k) Qui modo dixerat: *nondum adscendi ad Patrem meum, nunc Mariam jubet ire ad fratres suos, hisve nunciare suo nomine: Adscendo ad Patrem meum.* Hæc mutuo se respicere vix quispiam negabit. Uti igitur Mariam blandiuscule monebat, amplexus familiares differendos esse, donec ad Patrem perveniant; ita fratres monendos vult, non esse quod putent, cum resurrectione rem omnem esse confectam, regnumque Dei nunc in terris appariturum, sed scire potius debere, se nunc ire ad Patrem, non autem in terris esse substiturum. Ita quoque BENEDICT. ARETIUS Comm. b. l. hoc in mandatis datum esse Mariæ scribit, *ne ex resurrectione capiant spem terreni regni, in qua sententia diu haserunt, sed animos ad cœlestia erigant, illuc quatuor tuto Christum, non in terreno regno.* Ne vero spe rerum terrenarum ademta sciscerent discipuli, quid tandem de Christo habe-



haberent, modo paciente, nunc resurgente quidem, sed & ad patrem abeunte; addit: ET PATREM VESTRUM, eoque significat, se per passionem Deum ipsis acquisivisse patrem, ut cum ipso essent filii & cohæredes non terreni ac pereuntis, sed cœlestis æternique regni.

(1) Confitetur Christus Patrem suum, quem modo dicebat, etiam *Deum* suum. Fieri hoc videtur juxta Psalmum XXII. ubi passim intra passionum angores *Deum* suum vocat. Deus autem uti non est ex iis, qui in terra dñi nominantur, sed summus ille omnium cœlorum Deus ac Dominus: ita innuit Christus hac appellatione, regnum suum apud Deum in cœlis esse, ac simul *Deum fratrum suorum* appellat, ut sciant, se nunc pacatum in Christo *Deum* habere, nec alienos esse ab ipso, a deoque regni Dei in in cœlis futuros participes. Conf. LUTHERI nostri oratio in Joh. XX, quæ Opp. germ, Tom. V. Jen. habetur pag. 316.

§. II.

Reliquis etiam mulieribus Christus prius apparuit, quam discipulis, (b) itidemque cum iis verba nonnulla commutavit, uti ex MATTHÆI narratione videre est. (b) Primum verbum, quod ex ore suavissimi Jesu accipiebant, erat Χαίρετε. (c) Mulieres quid responderint, divinus scriptor non commemorat. (d) Jesus autem, postquam pedum tactu ipsum adoraverant, (e) ita iis dixit: Non timete: (f) abite, annunciate fratribus meis, (g) ut abeant in Galilæam, & ibi me videbunt. (h)

(a) Uti facit ad laudem MARIAE Magdalenæ, quod primo post resurrectionem cum ea locutus est Dominus, ita laudi tribendum est reliquis mulieribus, quod nec ipsas insoluta-



lutatas e via dimittere voluit triumphator. De Maria BENEDICTIUS ad Joh. XX. 17. scribit: *Perduravit in fletu apud sepulchrum, quæsivit constanter Christi corpus, reperit igitur, & plura quam speravit: mortuum enim querens, reperit viventem. Constituitur igitur non immerito doctrix Apostolorum, ut illorum timor iterum arguantur, & confirmetur fides, per eam, cui tutissime poterant credere in bac historia.* De his igitur mulieribus quoque observandum est quod mane quæsiverint Dominum mortuum, & mane invenerint Dominum vivum, sicuti promisit Prov. VIII. 17. *Ego amatores meos adamō, & in diluculo me quarentes invenient me. Primum quoque nuntium hæ attulerunt discipulis, quod Jesum viderinte mortuis resuscitatum, & loquentem audiverint, imo & in mandatis ab eo acceperint, ut nunciarent fidelibus, vivere Jesum.* Licet enim primo apparuerit Magdalena illi, reliquæ tamen primæ ad urbem accederunt, utpote in via jam constitutæ, illa adhuc circa sepulchrum hærente. Si vero nunc a Maria aliisque foeminis paulo discedamus, facile intelligimus, cedere id in solatium totius sexus sequioris, quotquot credunt in Christum, quod laudi fuit istis, quæ viderunt eum suis oculis. *Quemadmodum enim non levis sexus sequioris ignominia est, quod nuncium a serpente accepit Eva, & Adamo nuntiavit: ita haud minor laus est, quod foeminæ lætum nuntium restitutæ vitæ tam per angelos, quam per ipsum Dominum vitæ, acceperunt primæ, & nunciarunt viris. Etiam hoc modo Deus declaravit, quod elegerit τὴν ἑγεμόνην.* Conf. I. Cor. I. 28.

(b) Cap. XXVIII. 9, 10.

(c) *Xaigete, gaudete.* Est salutandi formula. Vid. Luc. I. 28. Matth. XXVII. 29. Consuela sine dubio fuit Christo in salutandis mulieribus. Juvisse enim videtur, ut eum statim agnoscerent, licet in via ambularent, neque ab angelis audiissent, quod ipsis obviam venire vellet, sed potius in Galilæam ablegatae essent. Optime autem hac salutandi formula utebatur Christus, qui læti nuncii, de quo universus orbis

gau-



gaudet, objectum est, & nunc potiori quodam jure acclamare suis poterat *χαιρετε, gaudete.*

(d) Forsitan per metum, quo impletæ a sepulchro redibant, imo & per reverentiam, quæ major post resurrectionem, quam ante erat, ne verbum quidem proferre potuerunt. Quod eo verosimilius evadit, si nobiscum reputemus, Mariam quoque Magdalenam nonnisi unicam appellationis *Rabbi-ni* vocem ore suo protulisse. Si vero aliquid locuti sunt, parum certe id fuit. MATTHÆUS vero paucis tantum Christi verba consignavit, mulierum non curans.

(e) Pedum tactus adorationis causa fiebat, consentientibus interpretibus. Vid. Jo. HENR. MAJUS *Oeconom. Temp. N. T. Cap. VIII. §. III.* & alii plurimi.

(f) Quæritur, de quo timore Christus loquatur, illone, quem ad sepulchrum visio angelorum incusserat, an novo quodam, quem inopinatus adspectus majestate sua ex resurrectione coruscantis Jesu ipsis incutiebat? Sed dubium non est, adspectum redeuntis e sepulchro per gloriam Patris non potuisse non excitare tremorem in artubus mulierem. Itaque timor hic, si non omnis, certe maximam partem, novus erat, diversusque ab illo, quem in horto ac sepulchro conceperant.

(g) Exemplar Complutense, 1514. impressum, habet μα-
Θηταῖς pro ἀδελφοῖς. Licet vero magnæ fidei sit, non tamen valet contra alios Codices omnes. Vid. MASTRICHTI N. T. Gr. Videtur ex margine irrepsisse in textum, dum quis notare voluit, per fratres non consanguineos, sed discipulos in genere intelligendos esse. Non autem consanguineos intelligere Christum, tum ex Evangelistarum narrationibns liquet, Marc. XVI. 10. Joh. XX. 18. tum ex consuetudine ejus, qua consanguineos aliis non præferebat, satis manifestum est.

(h) Vid. Part. I. §. II. (f). Hoc mandato Christus confirmat id, quod modo ab angelis acceperant, & sic testimonium his exhibet, quod commissa fideliter executi sint, observante SALOMONE van TILL *Comment. Harm. in Matthæum b. I.* imo vero & fidem mulierum corroborat, ut non dubitarent,



rent, se re vera nuncium, & nuncium verum e cœlis accepisse. Quare vero non dicit mulieribus, ut nuncient discipulis, se ipso hoc die, & vesperi quidem, etiam Hierosolymis eos visurum? Ad hanc quæstionem respondere facile non est; Quis enim mentem atque consilia Domini nobis explicabit, ubi Sacra Scriptura nihil revelat? Certum vero est, Galilæam fuisse manifestationis locum destinatum, Matth. XXVI. 32. Probabile igitur est, id quod Hierosolymis accedit, largioris gratiæ documentum esse, adeoque a Christo non indigitari, ut clanculum & inopinato suos exhilarare posset, medius consistens inter eos, dum iter meditarentur in Galilæam, ad exspectandum ibi Jesum,

§. III.

Præ aliis LUCAS literis consignavit colloquium satis amplum, quod optimus Salvator cum duobus illis, qui Emauntem ibant, instituit: (a) prolixior autem est in recensendo sermone CLEOPHÆ, itinerisque & habiti colloquii circumstantiis exponendis, quam in conscribendis verbis Christi. (b) Primo narrat, qua ratione Jesus elicuerit sermonem ab ipsis, ita interrogando. (c) *Quinam sunt sermones isti quos invicem miscetis inter ambulandum, & estis tetrici?* Porro commemorat, quomodo, adductis in admirationem, & quodammodo indignationem, animis, qui fiat, ut quid actum sit in diebus hisce nesciat, & inde, de quo loquantur non colligat, percontari perrexerit: *qualia?* (e) Tandem addit, quomodo elicitis animorum cogitatis, sapientissimus Jesus eos redarguerit: *o insipientes (f) & tardi corde (g) ad credendum*



dum omnibus iis, quæ locuti sunt Prophetæ! (h) Nonne hæc oportebat pati Christum, (i) & intrare in gloriam suam? (k) Scribit quoque Evangelista, quod a Mose incipiens per omnes Prophetas iverit, interpretatus ea, quæ de ipso in iis extant vaticinia. Nullum vero locum adducit, quo Christus usus est, multo minus explicationem. (l) Quod optandum videri posset, nisi sapientiæ divinæ aliter visum esset. (m)

(a) Vid. Part. prior. §. IV. (c) sqq. pag. 35. sqq.

(b) Fieri hoc aliter non potuit, quia ipse Christus mentem CLEOPHÆ atque socii sollicite expiscatus est, ut ὀλιγοπτία, proxime ad ἀπιστίαν accedens, eo magis innotesceret, ut eo felicius iis medelam afferre posset, & simul constaret, quanti laboris fuerit, homines incredulos de veritate factæ resurrectionis Jesu convincere.

(c) Luc. XXIV. 17.

(d) Phrasis græca λόγις ἀντιβάλλειν alicujus emphaseos esse videtur, innuens zelum quandam & assiduitatem in sermoncinando, qualis esse solet illorum, qui de re magna inter se conferunt. Αντιβάλλειν proprie est vicissim jacere, ut quum duo pila lusitant; metaphorice est conferre, per objectiones dubiorum scrupulorumque. Vid. EDUARDI LEIGH *Critica Sacra*. Ipsa res talem verborum expositionem poscit. Quis enim dubitet, non sine pio fervore hos ambulatores res gestas contemplatos, deque iis locutos fuisse. Quid? quod Christus inde occasionem ipsos alloquendi arripiat, acsi dicat: *Video, vos summo cum fervore disputare, & de rebus maximi momenti conferre.* Addit autem Christus aliam interrogationis suæ causam, nimirum, quod videat ipsos nimis tristes, & quidem die paschatis, quo omnes Judæi impleti esse solebant gaudio. Utitur vocabulo σκυθεωπός, quod tribuit hypocritis jejunantibus, Phariseis nimirum, infesto hominum generi, Matth. VI. 16. ubi



LUTHERUS in mitiorem partem vertit sauer. Interpretes in designanda vocis hujus significatione non consentiunt. Modo laudatus EDUARD. LEIGH l.c. varios adducit, BEZAM, Vulgatum, JOSEPH. SCALIGERUM, SCULPTUM, LUDOVICUM de DIEU, HEINSIUM & alios. Ipse vero; Vocabulum, inquit, proprie denotat aspectum rabidum fera bestie, ut leonis & ursi, cui catuli sunt surrepti, qui tam torvum & serum intuitum habet, ut non sine terrore possit aspici. Sane non ab ludit hæc vocis significatio a tetricis istis Phariseis, præsertim si istorum jejunia ad decempedam veterum hypocitarum, quos Propheta Iesa. LVIII. 3. 4. describit, metiamur. Quicquid tandem de communi vocis hujus significatu sit, certum est, Christum hoc epitheto designare hominem hypocritam, qui faciendo quæ voluntatis Dei esse putat, torvo suo tetricoque vultu declarat, se non spontaneo, sed servili spiritu agere. Solent quoque hypocritæ studio tristem severumque præ se ferre vultum, ubi servilis cultus id postulare videtur. Christus igitur hoc loco tacite forsitan redarguere voluit CLEOPHAM & socium, quod vultu ad morem Pharisaeum composto incedant, qui sibi tædiosus & molestissimus erat.

(e) Indignationem spirant verba CLEOPHÆ, certe admirationem, quæ tamen ab indignatione proxime abest. Amantes enim ægre ferunt, si quæ sibi curæ sunt cordique, ab aliis negligantur. Deprehendimus igitur in magna imbecillitate fidei summum amoris fervorem, qui admirationem nostram meretur, & testatur de veritate, quod fides per charitatem sit efficax, Gal. V. 6. Christus vero nihilominus percontari pergit: *qualia?* non quod nesciat, sed quod audire cupiat, quid tantopere animum excruciet & distrahat.

(f) Ανόητοι dicuntur, qui infictia Dei rerumque divinarum immersi longissime a Deo & spe vitæ æternæ absunt, Ephes. IV. 18. Tit. III. 3. Correptio igitur durior in hac voce latet, qua ethnici eos comparat, qui luce scripturæ destituti scripta ac vaticinia prophetarum ignorent, ut de iis, quæ aëta sunt cum Christo, judicare nequeant, sed in fluctuationibus suis oberrent.

(g) Uti



(g) Ut vox ἀνόητοι proprie ad intellectum spectat, ita βρεδεῖς τῇ καρδίᾳ dicuntur respectu voluntatis. Ut enim scripta Prophetarum non intelligebant, ita quoque difficillimi erant ad dandum iis, quae in scriptura existare sciebant, assensum.

(h) Prophetas intelligit omnes scriptores Veteris Testamenti. Vid. v. 27. Notanda autem est emphasis in verbis ἐπὶ πᾶσιν, quibus innuit Christus copiam ac multitudinem vaticiniorum.

(i) Ταῦτα refert se ad coīmā superius 20. sensumque hunc fundit: Ea ipsa, quæ adeo torquent animos vestros, quod nimirum vidistis, sacerdotes principesque populi tradidisse Jesum ad supplicium mortis & crucifixissē, a scriptoribus sacris ita fore præscripta sunt, adeoque, si veritas verbis Prophetarum stare debet, necessario ita evenerunt, uti oculis vestris ea conspexitis.

(k) Ex duris gloria, si calamitates fortiter superentur. Gloriam igitur intelligit reportatæ victoriæ, triumphi, sessiōnis ad dextram Patris regnique cœlestis.

(l) In Mose statim habemus protovangelium illud, Gen. III. 15. Habemus in eo adumbrationes varias, ac præcipue hoc faciunt expiationes per sanguinem factæ. Conf. Hebr. IX. 22. Ne quid dicamus de exemplo ABELIS, Gen. IV. 8. 10. coll. Hebr. XII. 24. deque aliis momentis pluribus. Clariora testimonia exhibent Psalmi ac Prophetæ, Psalm. XXII. 1. sqq. Esa. LIII. 3. sqq. &c. Petrus in genere de Prophetis observat, quod testati sint de passionibus, quæ in Christo sunt, & subsecuturis gloriis; 1. Petr. I. n. Verum uti LUCAS non consignavit loca Scripturæ, quibus Christus usus est, ita nec nostri negotii hic est, ut plura hac de re in medium proferamus.

(m) Scrutati sunt Prophetæ, quæ & qualia tempora Christi Spiritus in ipsis significaret. Multo facilitiore negotio nos scrutari possumus vaticinia post factam eorundem impletionem. Sapientia Dei nimis scriptis onerare nos noluit; Joh. XXI. 25. Ipsa experientia testatur, pro ea, quæ nobis adhæret,



imbecillitate fere nimia esse, quæ Deus nobis in sacris suis literis tradidit. Dolendum vero est, homines non ea, qua pars est, industria scrutandis literis sacratoribus incumbere, eosque, qui docti in iis haberi volunt, saepius ad *ἀλλότρια* se conferre, nucleumque scripturæ, Christum patientem & post passiones glorificatum, negligere. Dolendum quoque est, in hunc usque diem, ubi lux Evangelii subinde clarior evadere, debebat, multas tenebras superesse, quibus obnubilati Jesum non ubique in sacris literis invenire valemus; imo vero dari, qui sub sapientiæ & accurationis prætextu id agunt, ut pauca relinquantur de Jesu paciente & glorificato vaticinia, quæ pro apertis & indubitatis habent. Sapientia vero Dei ita res ordinavit, ut semper habeamus, quod scrutemur sedulo. Scrutemur igitur pro viribus, & hoc modo declaremus, auro quovis atque unionibus cariora nobis esse sacra Biblia.

§. IV.

Venimus nunc ad sermonem, quem primo resurrectionis die cum undecim discipulis, excepto THOMA, miscuit Christus (*) in quo referendo LUCAS (a) & JOHANNES (b) potissimum (c) suam navarunt operam. Conveniunt hi duo in eo, quod Christus, intrans in cœnaculum salutaverit eos & dixerit: *pax vobis.* (d) Ambo quoque memoriæ prodiderunt, quod exhibuerit eis manus palpandas, in specie lateris etiam meminit JOHANNES, pedum vero LUCAS (e) Solus LUCAS commemorat occasionem factæ hujus manuum, lateris pedumque ostentationis, addens, quod dixerit Jesus: *Quid conturbati estis, & quare cogitationes ascendunt in cor dibus vestris?* (f) *Videte manus meas, & pedes meos: nam ipse ego sum: palpate me & videte:* (**) nam

spirit-



spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis babere. (g)
 Idem Lucas scribit, quod interrogaverit: Habetisne hic
 aliquid cibi? (h) & accipiens comedenter. Qui porro nar-
 rat, dixisse Jesum: Hæc sunt, quæ locutus sum vobiscum, cum
 adhuc apud vos essem, quod impleri oporteat omnia quæ scripta
 sunt in lege Mosis, inque Prophetis & Psalmis de me. (i) Idem
 addit, quod dixerit iis: Ita scriptum est, (k) & ita oportuit
 Christum pati, & resurgere ex mortuis tertia die, (l) & prædi-
 cari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in
 omnibus gentibus, (m) incipiendo Hierosolymis. (n) Vos vero estis
 testes horum. (o) Et ecce, ego mitto promissionem Patris mei su-
 per vos: (p) Vos autem sedebitis in urbe Hierosolymorum, usque
 dum induemini potentia ex alto. (q) JOHANNES, missis cir-
 cumstantiis metus dubitationisque discipulorum, & mo-
 di, quo Jesus motus hos inordinatos sedavit, ad altiora
 proiectus observat, eum iterum discipulis dixisse: Pax
 vobis, (r) addentem: Sicut misit me Pater, etiam ego mitto
 vos. (s) Pergit commemorare, eum insufflasse (t) & di-
 xisse iis: Accipite Spiritum Sanctum: (u) Quorum remittetis
 peccata, iis remittentur: quorum retinebitis, retinebuntur. (x)

(*) Vid. Dissert. prior §. V. p. 40.

(a) Cap. XXIV. 36 - 49.

(b) Cap. XX. 19 - 23.

(c) Potiores partes tribuimus hic LUcae arque JOHAN-
 NI. Etenim licet MATTHÆUS hæc plane silentio involvat,
 lectoremque ad Galilæam remittat, ubi Christus suis se mani-
 festavit secundum promissionem proxime ante passionem da-
 tam, Marcus tamen necessaria supplet, & quomodo Jesus finito
 denique primo paschatis die Hierosolymis undecim discipu-
 los



los convenerit, narrat, addens, quod exprobraverit iis incredulitatem & cordis duritiem, quod credere noluerint iis, qui viderant ipsum postquam ex mortuis resurrexerat; cap. XVI. 14. Quemadmodum e contrario Galilæam, cuius modo v. 7. mentionem injecerat, sicco pede præterit, satis habens, quod MATTHÆUS eam ex instituto nominaverat. Quod vero MARCUM in §. non allegamus, idcirco fit, quia verba ab eo adducta non tam singularia sunt, Hierosolymis in cœna prolatæ, quam summarie ex iis sermonibus, quos Christus per quadraginta dies habuit, collecta, uti hoc partim ex ipsa sermonis structura, quæ generica est, partim ex subjecta statim de Christo in cœlum sublato narratione satis manifesto apparet. LUCAS quoque ad hunc modum nonnulla brevibus contraxisse videtur. Verum de hoc pluribus infra.

(d) Luc. XXIV. 36. Joh. XX. 19. Εἰρήνη ψυχῆς communis salutandi formula, Hebræis usitatissima, a Christo autem in sensu emphatico & prægnanti adhibita. Significat enim, se Deum reconciliasse, pacemque attulisse, quam nunc impertiat. Vid. Ephef. II. 14 sqq. Col. I. 20. &c.

(e) Non pugnant inter se Evangelistæ, sed supplet alter, quod in altero deest. JOHANNES præ aliis observavit latus Christi hastæ militis perfoßum; cap. XIX. 33. sqq. Itaque etiam notatu dignum existimavit, eum sponte obtulisse discipulis suis illud conspiciendum & palpandum, cap. XX. 20. 27. LUCAS vero pedum meminit, ut indicet, Jesum quoque in pedibus habuisse vestigia clavorum.

(f) Operæ pretium ducimus Jo. CALVINI commentationem ad hunc locum hic adscribere: *His verbis, inquit, monentur a terrore colligere mentes suas, ut recepto sensuum vigore, de re fisi comperta judicent. Quamdiu enim homines occupat perturbatio, in luce manifesta cœciunt. Ergo ut certam notitiam concipient discipuli, jubentur rem sedatis & compositis animis expendere. Secundo membro Christus aliud vitium castigat, quod scilicet alternando inter varias cogitationes se ipsos impedian. Dicit autem ASCENDERE COGITATIONES, significans veri notitiam in ipsis ideo suffocari ut videndo*



videndo non videant: quia non cohibent perversas imaginations, sed potius cursum illis laxando, in locum superiore attollunt. Et certe nos hoc nimis verum esse experimur: quemadmodum nebula si manes serenum fuerit cælum, sursum elata claram solis lucem obscurant: ita dum nostris rationibus nimis libere contra Dei verbum insurgere permittimus, quod ante nobis conspicuum erat, ex oculis nostris subducit. Licet quidem, ubi aliqua absurditatis species occurrat, expensis hinc inde rationibus disquirere: nec fieri aliter potest, quin rebus dubiis hoc & illuc versentur mentes nostre: sed tenendus est modus & sobrietas, ne altius quam oportet se efferat caro, & suas cogitationes procul in cælum emittat.

(**) Quærere hic liceat, num Christus perpetuo vulnerum vestigia gestet? Prolix satis negat hoc Jo. BRENTIUS Homil. in Resurr. Christi Tom. V. Opp. pag. 1599. urgens, quod vulnera sint nota corruptionis & infirmitatis, quales ne quidem in aliis corporibus glorificatis locum habebunt; 1. Cor. XV. Quod igitur Jesus a mortuis resuscitatus ostendit cicatrices vulnerum in manibus, pedibus & latere, id factum esse statuit libere ad tempus, ut veritatem resurrectionis suæ comprobaret. Verum vulnera Christi in corpore suo glorificato ita sunt comparata, ut nulli impedimento sint, neque deformitatem involvant. Quodsi ossa pedum fracta fuissent, fracturas illas retinere non potuisset propter infirmitatem atque ignominiam. Itaque Deus frangi ea noluit, sed fractionis loco aperturam lateris fieri debere constituit. Cessat igitur ratio a b. BRENTIO allata, adeoque non est, quod negemus vestigia vulnerum perpetuo durare, præsertim cum sint perpetua tropæa, per passionem, qua Christus victoriam ab hoste reportavit, comparata, Conf. Zach. XII. 10. Joh. XIX. 37.

(g) Etiam ethnicos hoc modo circumscripsisse spiritum observavit GROTIUS h.l. allegans HOMERUM & MAXIMUM TYRIUM. Jo. BRENTIUS Homil. in Resurrect. Christi Tom. V. Opp. p. 1597. sq. hac occasione aliquam excursionem facit ad apparitiones spirituum seu spectrorum, ex quo quæ videntur hic apponemus. Sunt, inquit, qui sentiunt, animas defunctorum ambu-



ambulare interdum vel in domibus, vel in agris, quæ & adjuratae, responsa dare solent. Ac alius quidem spiritus respondisse fertur, se horrendas in purgatorio pœnas ferre, posse autem redimi vel certis sacrificiis Missarum, vel certis peregrinationibus: alius alias nugas commorasse dicitur. = = = Homo duabus partibus constat, corpore videlicet & anima. Qui autem vita sua defunctus est, is nec corpore, nec anima in hac terra oberrat. Non corpore, quod corpus sepultum sit, & computrescat, id quod etiam sensu ipsi manifestum est. Non anima, ac primum de animabus piorum. Iustorum, inquit Scriptura, anime in manu Dei sunt. Et ad latronem dicitur: Hodie mecum eris in Paradiso Lazari quoque anima fertur ad sinum Abrabe. Ac Stephanus = = Deinde certum est de animabus peccatorum seu impiorum, qui in incredulitate moriuntur, quod sepeliantur in infernum. De divite epulone dicitur: Sepultus est, & in tartaro sublatis oculis, cum esset in tormentis, videt Abraham eminus, & Lazarum in sinu ejus, ac petiit, ut mitteatur Lazarus in domum fratrum ipsius, sed repulsam passus est. Quare non est sentiendum, quod homines vita defuncti in hac terra vagent. Quid ergo dicemus de his spectris, quæ aliquoties manifeste cum audiuntur, cum videntur? Non est obscurum, multas superstitiones de spirituum vagatione opiniones, partim ex hominum inscitia, parium ex imbecillitate visus, partim etiam ex imposturis iniquorum hominum exortas esse. = = = Etsi autem his occasionibus magna pars superstitionis opinionis de vagatione humanorum spirituum aut exorta, aut potius aucta & confirmata sit, ac humani spiritus in hac terra minime obambulent, sentiendum tamen est, Satane ludibrio fieri posse, ut objiciantur nobis spectra, quasi demortuorum hominum, quæ quidem spectra non sunt ipsi homines, qui apparent, sed sunt commenta Satanae, ad decipiendo nos adhuc vivos excogitata. Nam Scriptura Sacra testatur in 1. Samuelis lib. quod ex incantatione mulieris Pythonisse apparuerit vir senex, amictus pallio. Hunc virum eis Scriptura vocet Samuelem, tamen quia diligenter descripscerit mortem & sepulturam Samuelis, non semper hunc virum fuisse verum Samuelem, sed fictitum ad confirmandam Saulis impietatem, a Satana excogitatum. Adhuc lex dicit: Non sit inter vos, qui consulat pythones, & querat a mortuis veritatem. Qua lege perspicue significatur, spiritus incarnationibus excitatos, esse

com-



commenta Satanae. Cum enim non sit quærenda veritas a mortuis, hoc est, spiritibus excitatis, manifestum est, eos esse Spiritus mendaces. Et cum Satan sit mendax, adeoque ejus rei pater, facile intelligimus, hos Spiritus esse Satanicos, aut a Satana efficiatos. Quod autem de spiritibus incantatione excitatis. dictum est, idem sentiendum erit de spiritibus sua sponte apparentibus, quos cum scriptura vetet audire, & præcipiat, ne ab ipsis quæramus veritatem, perspicue significat, eos esse Spiritus impostores & Satanicos. Tametsi autem Satan hanc habeat potestatem, quod possit nobis spectra mortuorum hominum objicere, non tamen potest hoc semper, cum liber, facere, alioqui omnia semper plena essent commentitius spectris. &c. Solidum hoc est magni in ecclesia nostra nominis Theologi judicium de spiritibus apparentibus, licet aliquanto prolixius. E re autem visum fuit illud non prætereire hac nostra ætate, qua multi sunt pnevmatophili, qui quasvis spectrorum fabulas libenter audiunt. Prodit quoque Lipsiæ anno seculi hujus trigesimo prolixa satis de spirituum apparitionibus collectio, titulum gerens: *Unterredung von dem Reiche der Geister*, cuius autor illustris Regiae cujusdam Societatis literariæ Præses esse perhibetur. Neque nunc hujus collectionis finem esse dicunt. Quid vero autor, quisquis ille sit intendat, destructumne eat fabulas, quas putet, an stabilire velit regnum spirituum, non apud omnes constat. Ipsa certe collocutorum, quos constituit, nomina videntur esse suspecta. Tacemus reliqua.

(h) Videtur cœna jam sumta tum fuisse ab apostolis, quia Christus quærerit, annon aliquid cibi habeant. Evidem Marcus cap. XVI. 14. scribit, Jesum se in cœnaculo manifestasse ἀπαντέντοις αὐτοῖς τοῖς ἑδενα, discubentibus illis undecim, sed facilis hic est conciliatio, si vel cum Jo. CALVINO in Harmonia sua verbum vertamus *sedere*, vel dicamus discubuisse adhuc discipulos, cibis jam sublatis. Quanquam nec simpliciter ex eo, quod Christus interrogavit, sequatur, cibos non amplius fuisse appositos. Cæterum non est, quod quæramus, quare Christus edere voluerit. Facile enim intelligimus, eum non indiguisse humano cibo in glorificato corpore. *Ut enim, inquit*



quit JO. BRENTIUS, nec alget, nec sudat, ita nec esurit, nec sitit. Cur ergo petit cibum & sublatum comedit? Non certe alia causa, quam ut hoc argumento testaretur vitam corporis sui. Edere enim maximum est vita signum. Unde cum Christus excitasset filiam archisynagogam & mortuis, jussit illi dare cibum, nimirum non ad sedandam esuriem, quam puerilla nondum sentiebat, sed in argumentum vite. Itaque Petrus cum Cesaree concionaretur, meminit hujus argumenti de resurrectione Christi, & ait: Hunc Deus tertio die suscitavit a mortuis, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus una cum illo, posteaquam resurrexit a mortuis &c. Sed quæri solet, verene ederit nec ne? & quale hoc fuerit nutrimentum? & quo abierit? Quas interrogationes frustraneas pronuntiat BENED. ARETIUS Comment. ad Luc. XXIV. b. l. vereque comedisse recte affirmat. Non enim suis illudere voluit: sed vere quæ hic egisse scribitur, egit. Non autem his ita astringitur, ut ob id in nutrimentum abeat cibus, quemadmodum prius, sed potuit illa in nihilum redigere. Verum enim vero, si in nihilum redegit Christus, qui plus una vice cum suis post resurrectionem comedit, cibos a se sumtos, non vere comedisse videri posset. Itaque malim statuere, eum in glorificato corpore simul glorificasse cibos istos. Recte venerabilis BEDA Tom. V. Opp. in N. T. b. l. Manducavit potestate, non necessitate. Si vero potestate, per eandem glorificare quoque potuit cibos in glorificato corpore. Quodsi vero & in hac opinione aliquid difficultatis lateat, melius est, ut plane taceamus, & modum hujus comedionis ad numerum aliarum rerum divinarum, quæ tuto nescimus, referamus.

(i) Facile videmus, Christum intelligere sermones, quos ante mortem cum suis habuit de passionibus suis & insecuritate statim resurrectione, e. g. Luc. XVIII. 31. sqq. &c. Nunc, cum re vera iterum apud eos esset, loquitur tamen de se, tanquam qui non amplius apud eos sit, quia nimirum tantum nat' ὀικονομίαν apud eos erat. Optime & perspicue hac de re commentatur b. l. venerabilis BEDA: Cum adhuc essem in car-

ne



ne mortali, in qua estis & vos. Tunc enim in eadem carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat. Et cum illis quidem posteaquam resurrexit, fuit quadraginta diebus (ue legitur) exhibitione corporalis praesentiae, sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanae.

(k) Modo in memoriam iis revocabat, quod ex Mose, Prophetis & Psalmis ea, quae nunc ipso eventu comprobata viderint de morte & resurrectione sua, ita fore ipsis prædixerit. Nunc autem pergit allegare Scripturam, ut velamine ab oculis mentis sublato, vaticiniis nimirum impletis, ac virtute singulari per verbum efficaci, ipsis iterum loca de se vaticinaria proponat, ut sic tandem, quae abscondita adhuc erant, plane pleneque intelligant.

(l) Tertia die resurrectum se ex mortuis aperte Christus prædixit, Luc. XVIII. 33. Quibus autem Scripturæ locis usus sit, ut demonstraret *tertia die* resurrectionem fieri debere, non scriptum est ab Evangelistis. Alia tamen occasione MATTHÆUS significavit, JONÆ exemplum proposuisse eum incredulis Judæis. Vid. cap. XII. 40. In genere ex psalmi decimi sexti commate decimo patet, Christum non ultra tertium diem in sepulchro manere potuisse, quia corruptionem experiri non debuit. Conf. Act. II. 27. XIII. 35. Interpretes hic fere consulto silere videas, tanquam qui quid hac de re ex sacris literis allegarent non habuerint. Gratam igitur operam præstítit ven. Dn. D. NICOL. KÖPPENIUS noster in Programmate Paschali 1732 in quo *Christum, tertio die resurgentem, secundum Scripturas e Hof VI. 1. 2. & 1. Cor. XV. 4.* Civibus Academicis proposuit. Adducto antem typo JONÆ, alium typum ex solenni & publico cultu Levitico in medium affert, in quem PAULUS I. Cor. XV. 20. digitum intendit, Christum ex mortuis resuscitatum *primitias* illorum, qui obdormierunt, nominans. Qua de re JOH. LIGHTFOOTUS mentem suam in Hor. Hebr. his verbis explicat: *Quamvis resurrectio Christi cum quibusvis primitiis comparata harmoniam cum iis habeat optimam, maxime tamen convenerit*



nit cum oblatione manipuli עמר vulgo dicti non solum quoad rem ipsam, sed & quoad circumstantiam temporis: nam primo erat Pascha, & dies insequens erat Sabbaticus, & die istum in sequente offerebantur primitiae. Sic Pascha nostrum Christus est crucifixus. Dies crucifixionem ejus in sequens erat Sabbathum: & die illud in sequente resurrexit ille primitiae dormientium. Post allatam vero hanc LIGHTFOOTI explicacionem laudatus Collega noster conjunctissimus observat, alias quoque ab aliis adferri typos, ut tertium diem itineris Abrahami Isaacum filium oblaturi, Gen. XXII. 4. & post pauca ita pergit: ubiunque vero hujusce tertii Resurrectionis Dominicæ typus habetur, Scriptura sensu certe mystico hunc diem innuit, & vere praedixit, perinde ut de Christo in cruce exaltando per typum serpentis aenei, Num. XXI. 9. coll. Job. III. 14. & de crurifragio in sanctissimo pendente in cruce corpore, ut alias in maleficiis fiebat, non admittendo, per typum agni paschalis Ex. XII. 46. Num. IX. 2. coll. Job. XIX. 36. vere, in sensu licet mystico, praedixit. Tum vero totus in eo est doctissimus Autor, ut solide ostendat, in literali quoque sensu tertium diem resurrectionis Christi vaticinium Hof. VI. l. 2. praedicere: Queso redeamus ad Dominum. Nam ipse discerpit, & sanabit nos: percutiet & obligabit nos. Vivicabit post biduum: in die tertio vivificabit nos, & vivemus coram eo. Vix dubium est, plura testimonia prophetica hac de re in sacris literis existare, dummodo fasciæ typicæ satis evolvantur.

(m) Hoc quoque scriptum est in Mose, Prophetis atque Psalmis, quod nimirum prædicanda sit in nomine Christi pœnitentia & remissio peccatorum &c. De ipsa prædicatione egregium extat vaticinium Jes. LII. 7. Addi potest Psal. XXII. 28. &c. De gentibus, quibus prædicanda est pœnitentia & peccatorum remissio, videri possunt prædictiones Deut. XXXII. 21. Esa. LXV. 1. Hof. II. 23. Joel. III. 5. &c.

(n) Hierosolymis incipienda erat prædicatio, tanquam in urbe Davidis. Vid. Psal. CXXXII. 10. sqq. &c. Hinc manarunt plurima Prophetarum vaticinia, e. g. Psal. II. 6. Esa. II. 3. XXVIII. 16. Jerusalem quoque acclamat Propheta Jes. LX. 1. consentientibus & ipsum nomen exprimentibus LXX. Referri



ferri etiam huc potest illud quod apud SUETONIUM est, vulgariter eo tempore famam, ex Judæa proditurum qui orbi imperaret. Vid. GROTIUS h.l.

(o) Testes jam constituerat eos Christus ante passionem. Vid. Joh. XV. 27. Nunc, vaticiniis impletis, potiori quodam jure dicit: *Vos estis testes horum, quæ scilicet, uti prædicta sunt a Prophetis, ita nunc in me impleta videtis.* Conf. I. Joh. I. 1. sqq.

(p) Promissionem intelligit a Patre per Prophetas datam de donando Spiritu Sancto; Vid. Act. I. 4. 5. Plena sunt variarum divinorum scripta hac promissione, e.g. Joel. II. 28. Esa, XLIV. 3. Ezech. XXXVI. 26. 27. Christus autem ante passionem suam discipulos solatio implendæ hujus promissionis erexit. Vid. Joh. XIV. 16. 17. XV. 26. XVI. 7.

(q) Quod hic dicitur καθίσας, Act. I. 4. LUCAS interpretatur μὴ χωρίζεθε. Quare GROTIUS hanc partem sermonis a Christo habitam arbitratur postquam e Galilæa Apostoli redierant. Verum nexus sermonis, per particulias connectendi καὶ & δὲ, suadere videtur, non separandam esse hanc sermonis particulam ab antecedente. LVCAS, licet non ignarus eorum, quæ in Galilæa post resurrectionem gesta sunt, præterit tamen illa, vel brevitatis causa, vel quod quæ satis nota erant consignare supervacaneum dicit. Quod igitur sedere & non recedere Hierosolymis Christus mandavit discipulis, referendum est ad regressum e Galilæa, hoc sensu: proxime, redeuntes ad festum Pentecostes, sedebitis Hierosolymis, neque recedetis, donec promissionem datam accipiatis, jamjam enim tempus implendorum vaticiniorum instat, neque ulli amplius metuenda est mora. Cæterum potentiam ex alto dicit Christus donum Spiritus Sancti, de qua non est quod quicquam addamus. Conf. infra §. IX. (d)

(r) Repetendo confirmat, quod re vera pacem suis afferrat. Pacem quidem abiens discipulis reliquerat, dederat, Joh. XIV. 27. Sed per passionem & mortem suam acquirendam, licet etiam in morte suo modo ea fruerentur discipuli. Nunc vero pacem acquisitam suis largitur, largiter donat, & in pace corda ipsorum confirmat. Ab hoc etiam tempore fruebantur ea uberrime. Conf. Phil. IV. 7. (f)



(f) Missus est filius, ut nunciaret & exponeret nobis voluntatem Patris, veritatem cœlestem; Joh. I. 18. XVIII. 37. Idem igitur ministerium, præconium evangelii, Filius tradir discipulis.

(g) Spiritus S. vento comparatur, Joh. III. 8. Act. II. 2. signo igitur sufflationis utitur Christus, ut intelligent discipuli, se mittere eos non sine virtute divina ad subeundum hoc tantum munus. Vid. 2. Cor. II. 16. III. 5. *Sufflando*, inquit GROTIUS h. l. datus erat homini *Spiritus vite*: *Sufflando promittitur Spiritus Sanctus*. Bene; an vero Christus in hoc actu ad illum resperxerit, uon dixerim. Calculum meretur observatio CALOVII, dum adductis modo viri docti verbis sequentia addit: *Adumbra etiam origo Spiritus S. quod nempe spiraculum sit oris Domini, Filii Dei non minus Spiritus, quam spiraculum vel Spiritus oris Dei Patris Job. XXXIII. 4. Ps. XXXIII. 6. Esa. XI. 4. 2. Theß. II. 8. Non possumus dicere, inquit Aug. L. IV. de Trinit. c. 29. quod Spiritus S. & filio non procedat, neque frustra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur. Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem ait, accipite Spiritum S. neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia S. S. fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed & a Filio procedere Spiritum S.*

(u) Quæritur, num Christus hac ipsa sufflatione aliquid Spiritus sui dederit discipulis, an tantum significaverit, quid proxime exspectandum haberent, die nimirum Pentecostes, Act. I. 4. Verum si Spiritum suum non communicavit Christus in ipso sufflationis actu, inanis fuit sufflatio, nec commode dicere potuit, *accipite Spiritum Sanctum*. Scita hic videtur atque expedita b. CALOVII explicatio: *Uli anteja jam acceperant Spiritum ratione Sanctificationis, ita nunc accipiunt ratione ministerii evangelici, accepturi eundem in festo Pentecostes ratione donorum miraculorum*. At enim vero, si satis hæc nobiscum reputamus, facile apparebit, dona sanctificationis, ministerii evangelici atque miraculorum in discipulis non ita tempore disjuncta fuisse, sed ratione graduum paulatim creuisse.

Nam-



Namque jam ante passionem & mortem Christi gaudebant donis miraculosis & ministerialibus. Dona igitur Spiritus in majori gradu post resurrectionem accipiebant, sed plenior messis differebatur usque ad ascensionem in cœlos, & factam ex iis missionem Spiritus Sancti toties promissi. Primitiis veteris Testamenti, quæ primo post Sabbatum Paschale die, qui ipse Dominicæ resurrectionis dies est, offerebantur, comparari possunt dona, quæ Christus e mortuis resurgens discipulis contulit. Uti enim has primitias post septem septimanas, die nimirum quinquagesimo, seu Pentecostes, plena messis excipiebat; ita quoque post donorum paschalium primitias, insufflando collatas, dicto tempore læta insecula est messis. Vid. Act. II. 1. sqq. coll. Deut. XVI. 10. II. & Levit. XXIII. 10. sqq. Recte igitur CYRILLUS, quem modo laudatus autor allegat, scripsit, in diebus sanctæ Pentecostes Deum expressiorem gratiæ manifestationem ac inhabitantis in iis (discipulis) Sancti Spiritus declarationem esse voluisse. De typo Levitico conferri potest, si placet, *Programma pentecost.* quod meditatur messem spiritualem fructusque spiritus sancti, 1728.

(x) Secundum LUCAM misit Christus discipulos, ut, juxta prædictionem Prophetarum, prædicarent in nomine suo pænitentiam & remissionem peccatorum. Unde facile intelligimus, quid hoc loco intelligatur, quando Christus dicit: *Quorum remittetis peccata, iis remittentur, quorum retinebitis, retinebuntur.* LIGFOOTUS in *Horis Hebraicis* b. I. arbitratur, scrupulum hoc modo Christum eximere voluisse discipulis, an liceat Judæis Hierosolymitanis, qui manus suas commacularunt sangvine ipsius, remissionem peccatorum impertire? Verum concessa hæc a Christo potestas non solum ad Judæos, sed etiam ad ethnicos spectat. Si quis vero scrupulus de Hierosolymitanis hæsit apostolis, dicendum potius erit, quod eum evulserit Christus in verbis, quæ apud Lucam exstant, quod *incipere debant prædicationem Hierosolymis.* Idem doctissimus autor in verbis ἀν των ορατη̄τε, κενοτη̄νται plane singularia querit, nimirum I. potestatem feriendi rebelles, morte aut plaga aliqua temporali, II. potestatem tradendi Satane. Quod ut probet, ita per-

D

git:



git: Unde enim Petro auctoritas feriendi tam ferali fulmine Ananiam & Sappiram? Unde Paulo excacandi Elyam, & tradendi Satanæ Hy-
menum & Alexandrum, si non ex hoc diplomate? Christus ipse tale
quid nunquam exercuit. Morte aut plaga corporali ne unum quidem
afflixit unquam, sed mortuos aliquos resuscitavit, & afflictos corpore
sanavit infinitos. A Satana quam plurimos eripuit & liberavit, ne u-
num unquam ei tradidit. Ut hæc ergo præstarentur ab Apostolis, ne-
cessè erat, ut singulari aliqua autoritate ab eo roborarentur: quam si
non in hisce verbis, ubinam tandem invenies? Cum dotat ergo eos tali
autoritate & potestate, qualem ipse nunquam exercuerat, non mirum si
singulararem & inusitatiorē, donandi eam, modum adhibeat, in eos scili-
cet insufflando. Verum enim vero ex opposito æstimanda sunt
hæc Christi verba. Si enim remittere peccata est condonare
pœnitentibus peccata, ne amplius in foro divino imputentur,
retinere peccata nihil aliud esse potest, quam impœnitentibus
ita retinere illa, ut maneat culpa, & exspectanda in die extre-
mo pœna. Cum hac autem retentione conjungi potest interdum pœna temporalis seu corporalis, ut fideles punitorum
exemplo sapere discant, imo vero interdum etiam in corre-
ctionem eorum qui puniuntur, uti constat exemplo hominis
incestuosi, 1. Cor. V. 5. 2. Cor. II. 10. Quod Christus nunquam
exercuit tales potestatem, inde factum est, quod rempubli-
cam Christianam, durante politia Judaica, nondum constitue-
rat, sed tantum in eo fuerat, ut colligeret quasdam oves de-
perditas, regni sui primitias. Quod vero putat LIGHTFOOTUS,
exercere hanc potestatem, non potuisse apostolos, nisi a Chri-
sto specialiter fuerit tradita, primo quidem, si hoc ei conce-
dere volumus, dicere possumus, eam annexam esse potestati li-
gandi. Quodsi vero dicamus, eum discipulis non specialiter
hanc autoritatem dedisse, sufficit dicere, eum suos Spiritui
Sancto ducendos tradidisse, adeoque simul omnem potesta-
tem dedisse, ita cum peccatoribus agendi, uti impellente Spi-
ritu cum illis agendum viderent. Denique dubium est, an
Christus omnino non exercuerit potestatem Satanæ traden-
di, imo & plagas corporales immittendi. Quis enim Satanæ
pote-



potestatem concessit occupandi Judam. Vid. Joh. XIII. 27. Nonne ipse Christus dicit, Satanam semel egressum posse reverti? Luc. XI. 24. sqq. Fierine autem hoc potest sine voluntate Christi? Sic quoque ægroti a Christo sanati forsitan ex parte reciderunt in morbos, & quidem graviores. vid. Joh. V. 14. Neque hoc sine voluntate Christi factum est. Licet igitur Christus *quoad modum* non eandem imponendi plagas & tradendi Satanæ potestatem exercuit, inde tamen non sequitur, eum plane non exercuisse eam.

§. V.

Cum THOMA quoque seorsim locutus est Christus:
 (a) Primo repetiit salutationem: *Pax vobis.* (b) Deinde incredulo huic dixit: *Infer digitum tuum hic,* (c) *& vide* (d) *manus meas:* *Et infer manum tuam,* (e) *& immitt*
in latus meum: (f) *Et non es incredulus,* (g) *sed credulus.* (h) Perducta autem ad fidem ove hac errante, hæc addidit fidelis Pastor: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non vident, & credunt.* (i)

(a) Vid. Dissert. prior. §. V.

(b) Eodem, quo ante modo, redibat Christus: Itaque & eodem modo allocutio siebat.

(c) Ita voluerat THOMAS, ita igitur etiam Christus faciebat, atque sic tacite probabat, & vivere se, & Deum esse omniscium. Nulla hic suspicio animum hominis pertinacis subire poterat. Ipse enim ne quidem cogitabat, esse inter discipulos, qui Domino quæ dixerat narrasset. Non enim credebat vivere Jesum. Nunc igitur ipse auribus suis audiebat loquentem, & ex sermone ejus colligebat, non spectrum quodam, sed re vera Dominum adeste, eumque verum Deum, ubivis præsentem & audientem omnia. Quocum convenit confessio: *Dominus meus & Deus meus.*

D 2

(d)



(d) Utitur Christus voce generaliori *videre*, quæ per metaphoram in omnibus fere linguis ad omnes alios sensus transfertur, & hoc loco præcipue palpationem includit. Acutorem hunc visionis sensum dicit S. A. L. GLASSIUS in *Rhetorica Sacra, Tract. I. Cap. XII. pag. 1809.* Unde etiam fit, ut ad experientiam certam, & alia, quæ certissima prædicare volumus, transferatur. Conf. Psalm. XXXIV. 9. XXVII. 13. &c.

(e) Quæri posset, an etiam manum, imo & digitum intulerit THOMAS. Credas enim forte, eum auribus oculisque suis satis confisum, per modestiam digitum manumque retinuisse, & immittere in typos clavorum & latus noluisse. Verum nihil causæ subest, quare dubitemus. Si non fecisset, Johannes id non tacuisset. Incredulitas quoque hujus discipuli tanta erat, ut non facile quod nimium esset, ei offerri posset. Clara etiam sunt Scripturæ verba, *καὶ χεῖρες ἡμῶν εἰψηλάφησαν*, I. Joh. I. 1.

(f) Non addit, scribit h. l. Jo. CLERICUS ad Nov. Test. HENR. HAMMONDI, *εἰς τὰς πόδας με, quia pedes clavis perforati non fuerunt, sed vincti, contra quam vulgo pictores hodie & statuarii existimant* Verum immemor fuit vir doctus eorum, quæ LUCA S cap. XXIV. 40. habet, *καὶ τῷτο εἰπὼν ἐπέδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὰς πόδας*.

(g) Incredulitas est voluntatis, quatenus pertinax est, ut credere nolis, quod credere poteras. Idcirco eam reprehendit Christus, & incredulum discipulum hortatur, ut pertinaciam deponat. Pertinaciæ hujus magna vis est, & artificiosa in quibusdam se occultare novit. Sæpius tamen pertinaces dicimus, qui non sunt: Contra pertinaces multi sunt, qui nesciunt.

(h) Vox *πιστὸς* apud scriptores profanos *fidelem, constarem*, cui fides haberi potest, significat sæpius; actice autem hoc loco denotat eum, *qui credit*. Ita quoque sæpius in sacris literis occurrit, ut Act. X. 45. I. Tim. IV. 3. 10. 12. V. 16. VI. 2. EDUARD. LEIGH in Critica sua Sacra ad hunc potissimum locum, Joh. XX. 27. tanquam *apertissimum exemplum*, ex quo




quo intelligatur, quod πιστεῖς eum qui credit aut fidem adhibet
Deo, significet, provocat.

(i) Non eadem est interpretum sententia, quare Christus beatos prædicet, qui non vident, & tamen credunt. Jo. CLERICUS l. c. de futuro intelligenda hæc putat; beati qui, licet non viderint, credent tamen. Præivit hunc ex nostrisibus b. Jo. BRENTIUS Comment. h. l. Christus enim iis, qui ministerio apostolorum credituri erant, se hoc modo conspicendum & palpandum dare solebat. HUG. GROTIUS primo positivum pro comparativo positum existimat, ut πιστεῖς sint præferendi, uti Luc. XI. 27. Conf. I. Cor. VII. 8. Tum vero addit: *Hoc vere est de Dei potentia ac bonitate recte sentientium, fidem adhibere probabilibus testimoniosis, de ea re, quæ ad sanctissimum dogma confirmandum pertinet.* Cæterum & hic autor existimat, de credituris Apostolorum testimonio, & quidem longe positis a Iudea hominibus, præcipue agi. Simili quodam judicio Talmudicorum hoc Christi effatum illustrare vult Jo. LIGHTFOOTUS Hor. Hebr. b. l. Tanch. fol. 8. 1. Dicit R. Simeon ben Lagish, Dilectus est Proselitus coram Sancto ben. magis quam ista turba, quæ stetit ante montem Sinai. Nam illi nisi vidissent tonitrua & flamas & fulgura, & montes trementes, & vocem tubarum, non exceperissent legem. At Proselitus non vidit quicquam horum, & tamen venit, & se ipsum devovet Sancto ben. & suscipit in se regnum cælorum. Verum enim vero in verbis hisce Christi nihil invenio, quod ad futurum spectet, neque quod comparisonem instituat inter videntes & non videntes. Id potius manifesto apparet, Christum naturam fidei explicare, quæ non sit videntium uti Thomas volebat, non nisi tactum & adspectum ad producendam fidem idoneum dicens. Rectius igitur h. l. Jo. CALVINUS: *Hic, inquit, fidem eo nomine commendat Christus, quod in simplici verbo acquiescens a sensu & ratione carnis minime pendet.* Brevi ergo definitione vim & naturam fidei complectitur, nempe quod non subsistit in presenti aspectu, sed penetrat usque ad cælos, ut credat quæ sunt abscondita ab humano sensu. Convenit hoc cum illo Pauli: *Fides est ex auditu;* Rom. X. 17. Petrus quoque hoc nomine commendat fidem Christianorum primiti



primitivæ ecclesiæ: *Quem non vidistis & tamen diligitis &c.* i. Petr. I. 8. At, dicis, Christus tamen etiam videntium oculos beatos prædicat, Luc. X. 23. Verum palmarium, quod prædicat, erat fides, qua ipsum intuebantur tanquam Messiam a Deo missum. Si solus oculorum aspectus ipsos beatos fecisset, inimici quoque ejus & increduli, qui eum oculis suis cernebant, beati dicendi fuissent. Neque Thomæ profuisset tactus & adspectus, nisi tandem fide receperisset Christum. Quodsi quis porro objiciat, Christum tamen videndum & contredendum se obtulisse reliquis discipulis, nihil quoque unquam miraculorum editum unquam fuisse, quod non plurimi testes suis intuiti sint oculis, reliquisque sensibus experti; respondendum & hic est, a fide semper omnia pependisse, quandoquidem multi viderunt & experti sunt miracula neque tamen crediderunt. Uſus autem est Deus ministerio quorundam hominum, ut rerum gestarum essent testes, quibus fidem adhiberent reliqui, per verbi præconium ad Christum accessuri. Qui vero vel ipſi miracula patrarent, vel ea suis conspexerunt oculis, ii vel ante miracula fideles jam fuerunt, uti Moses, plurimi discipulorum Christi, & alii vel leviori quocunque signo persvasi fuerunt, ut fide ad Deum accederent, uti Nathanael, Joh. I. 47. sqq. Unde eo manifestius appet, naturam fidei esse credere, licet non videat. Quod & ipsa vox satis evincit.

S. D. G.



VIRIS

MAGNIFICIS, SVMME REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS ATQVE
DOCTISSIMIS,

DN. TIMOTHEO
LÜTKEMANNO,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI AC PROFESSORI
PRIMARIO, VNIVERSITATIS PRO-CANCELLARIO
PERPETVO, CONSISTORII REGII PRÆSIDI GRA-
VISSIMO, POMERANIÆ RVGIAEQVE SVPE-
RINTENDENTI GENERALI VIGILAN-
TISSIMO, ETC.

NEQVE NON

DN. JAC. HENR.
BALTHASARI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI
ORDINARIO, FACULTATIS THEOLOG. H. T. DECA-
NO, REGII CONSISTORII ASSESSORI GRAVISSI-
MO, PASTORI JACOBÆO MERITISSIMO.

DOMINIS PATRONIS, PRÆCEPTORIBVS, STVDIORVM QVE
SVORVM PROMOTORIBVS ÆTERNVM COLENDIS,
DEVENERANDIS

Hasce Dissertationis Theologicæ pagellas debiti ac perpetui cul-
tus monumentum ea, qua par est, animi observantia &
cum omnigenæ felicitatis voto

dicat atque offere
RESPONDENS.

